Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

sanguinem eius per altaris circuitum
et offerent de pacificorum hostiis
sacrificium domino adipem et cau-
dam totam cum renibus et pingue-
dinem que operit ventrem atque
universa vitalia et utrumque renicu-
lum cum adipe qui est iuxta ilia
reticulumque iecoris cum renuncu-
lis et adolebit ea sacerdos super alta-
re in pabulum ignis et oblationis do-
mini. Si capra fuerit eius oblatio
et obtulerit eam domino ponet
manum suam super caput eius. In-
molabitque eam in introitu taberna-
culi testimonii et fundent filii Israel
sanguinem eius per altaris circuitum.
Tollentque ex ea in pastum ignis do-
minici adipem qui operit ventrem et
qui tegit universa vitalia duos re-
nunculos cum reticulo quod est super
eos iuxta ilia et arvinam iecoris cum
renunculis. Adolebitque ea sacerdos
super altare in alimoniam ignis et sua-
vissimi odoris. Omnis adeps domini
erit iure perpetuo in generationibus cunc-
tis et universis habitaculis vestris nec
adipem nec sanguinem omnino co-
medetis.

IIII

Locutus est dominus ad Moysen dicens. Loquere
filiis Israel. Anima cum peccaverit
per ignorantiam et de universis man-
datis domini que precepit ut non
fierent quippiam fecerit. Si sacerdos
qui unctus est peccaverit delinquere fa-
ciens populum offeret pro peccato
suo vitulum inmaculatum domino
et adducet illum ad ostium taber-
naculi testimonii coram domino
ponetque manus suas super caput
eius et inmolabit eum coram domino.
Hauriet quoque de sanguine vituli
inferens illum in tabernaculum testi-
monii. Cumque intinxerit digitum
in sanguinem asperget eum cum
septies coram domino contra velum
sanctuarii. Ponetque de eodem sangui-
ne super cornua altaris thymiama-
tis gratissimi domino quod est in
tabernaculo testimonii. Omnem autem
reliquum sanguinem fundet in ba-
sim altaris holocausti in introitu ta-
bernaculi. Et adipem vituli offeret pro
peccato tam eum qui operit vitalia quam
omnia que intrinsecus sunt duos
renunculos et reticulum quod est super
eos iuxta ilia et adipem iecoris cum
renunculis sicut offertur de vitulo
hostie pacificorum et adolebit ea super
altare holocausti. Pellem et omnes
carnes cum capite et membris singu-
lis et pedibus et intestinis et cum fi-
mo et cum reliquo corpore efferet extra
castra in locum mundum ubi cineres
effundi solent. Incendetque ea super
lignorum struem que in loco effuso-
rum cinerum cremabuntur. Quod si om-
nis turba filiorum Israel ignoraverit
per imperitiam fecerit quod contra
mandatum domini est et postea in-
tellexerit peccatum suum offeret pro peccato
suo vitulum adducetque eum ad ho-
stium tabernaculi et ponent senio-
res populi manus super caput eius co-
ram domino. Inmolatoque vitulo
in conspectu domini inferet sacer-
dos qui unctus est de sanguine eius
in tabernaculum testimonii tinc-
to digito aspergens septies contra
velum. Ponetque de eodem sanguine